

Dissertatio medica, de febribus biliosis putridis / [Thomas Ruston].

Contributors

Ruston, Thomas, approximately 1739-1804.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : A. Donaldson et J. Reid, 1765.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nrpcm7hx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

45227/p

DISSE R TAT I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

F E B R I B U S B I L I O S I S

P U T R I D I S.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30351054>

D I S S E R T A T I O M E D I C A;

D E

F E B R I B U S B I L I O S I S
P U T R I D I S.

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

G U L I E L M I R O B E R T S O N, S. S. T. P.

A C A D E M I A E E D I N B U R G E N A E P R A E F E C T I;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,

E t N o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C A E d e c r e t o ;

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S
R I T E A C L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ,

E R U D I T O R U M E X A M I N I S U B J I C I T ,

T H O M A S R U S T O N, A. B.
P E N N S Y L V A N I E N S I S .

Ad diem 12 Novembris, hora locoque solitis.

*Post ignem aetherea domo
Subduclum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors.*

H O R .

E D I N B U R G I :
A P U B A. D O N A L D S O N E T J. R E I D .
M D C C L X V .

308703.

VIRO PLURIMUM HONORANDO,

GULIELMO ALLEN,

ARMIGERO,

PROVINCIAE PENNSYLVANIENSIS,

PRAETORI INTEGERRIMO,

SENATORI EXIMIO,

MORUM FACILITATE,

BENEVOLENTIA SUMMA,

ARTIBUS INGENUIS ORNATISSIMO,

IN COMMERCIO VITAE PRIVATAE,

AEQUE AC IN REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS,

SPECTATISSIMO;

DE SE PRAECIPUE, OB BENEFICIA COLLATA,

OPTIME MERITO:

NEC NON

VIRIS CLARISSIMIS,

PHINEAE BOND,

A C

THOMAE BOND,

IN URBE PHILADELPHIA, MEDICIS EGREGIIS,

MULTIFARIA ERUDITIONE AC HUMANITATE,

NON MINUS QUAM

MEDENDI PERITIA,

IN SIGNIBUS;

LITERARUM ET ARTIUM LIBERALIUM

FAUTORIBUS;

SUB QUORUM AUSPICIIS

IPSE PRIMA ARTIS ELEMENTA HAUSIT:

HASCE QUALESCUNQUE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

PATRONIS SUIS, SUMMOPERE COLENDIS,

DICATAS VOLUIT

A U C T O R.

P R O O E M I U M.

JAMDUDUM praeteriit, nunquam redditura, aetas, qua homines, morborum fere expertes, mentem sanam in corpore sano diutissime servabant. Ab intemperantia enim, vique atmosphaerae nociva, varia malorum genera ingruunt : nova morborum progenies coelo demittitur alto, semotique prius tarda necessitas lethi corripuit gradum.

OMNIUM autem morborum, ubique terrarum graffantium, nullus febre frequentius incidit; nec ulla, ipsarum febrium, tam mentis et corporis constantiam turbat, quam putrida, quae dira clade mortalia corpora sternit.

UT igitur solenni illustrissimae hujus académiae instituto morigerer, singulis medicinae lauream potentibus, priusquam eandem consequantur, publicum medendi peritiae specimen exigenti; ego quoque in arenam descendere institui; et febrem biliosam putridam, argumentum sane perdifficile, tractandum selegi. Ipsa vero hujus difficultas, nec

non

non necessitas ejusdem cognoscendi et explorandi utilitas, eo majori incitamento, naturae inquisitoribus, ad illius obscuram naturam investigandam, ut puto, esse debet. Quod si conatus tam ardui, minus ad sententiam proferint ; tamen id ipsum, quod utiliter ausus sum, facilem, mihi tyroni, veniam a legentibus, ut spero, impetrabit ; juxta illud Propertii,

— *Si deficiunt vires, audacia certe
Laus erit, in magnis et voluisse sat est.*

Spectata igitur et gravitate et amplitudine rei, ut hunc academicum laborem benigno vultu excipiatis, oro. Qua quidem spe freatus, tentare fert animus, quid valeant humeri, quod ferre recusent.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

FEBRIBUS BILIOSIS PUTRIDIS.

FEBRES putridae biliosae tam variae sunt, et sub tot faciebus differentibus apparent, ut facile quisquis credat, nullum nexus inter diversas species intercedere: * et difficultas affinitatem eorum detegendi, vaga et incerta ratione, qua eas in ordinem diversi scriptores redigere conati sunt, non paulum augetur. † Verum non solum clariss. CLEGHORN, GRAINGER, TISSOT, BAGLIVIUS, et HOFFMANNUS, sed etiam celeb. BOERHAAVIUS, LINDIUS, LIEUTAUDIUS, HUXHAMUS, et PRINGELIUS, uno ore consentiunt, utcunque varii morbi aestivi et autumnales sint, dum sub febris continuae, putri-

* Febres tertianae fere omnes alios morbos imitantur. (Cleghorn's observations on the epidem. diseases of Minorca, p. 211.) Quibus singulis si nomina dare velis, Oedipo conjectore tibi opus erit. (Bontius de feb; in Ind. c. 44.)

† Cleghorn eas tractat sub capite febrium tertianarum, Grainger febres anomalas eas nuncupat. Tissot, febres biliosas; Baglivius, febres malignas vel mesentericas; Hoffmannus, febres ardentes nec non cholericas, nominant.

A

dae,

dae, malignae, remittentis, diarrhoeae, dysenteriae, vel etiam febris intermittentis, diversis formis sepe ostendunt, humores tamen in omnibus maxime ad putredinem tendere *, et analogiam inter omnes manifestam satis esse †.

Hujus

* In febribus autumnalibus, qualescunque sint, humores maxime ad putrescentiam tendunt, ob praegressum aestatis calorem. (Huxham de aëre et morbis epidemicis.)

† Summa propinquitas inter omnes hos modo memoratos morbos videtur intercedere. (Cleghorn, p. 123.) Epidemic morbi, qui mensibus Julio, Augusto, et Septembri, in Hungaria, quae Europæ calidissima regio est, grassantur; cum his, qui in Guineæ oris, et in Indis Orientalibus et Occidentalibus, quae regiones præ ceteris morbos faciunt, prorsus iidem sunt, scilicet, febres malignae, remittentes, et intermittentes, dysenteriae, et diarrhoeae. (Krameri obs. de climate Hungar.) Vide Pringle obs. part 3. c. 4. § 4. p. 203. and Monro's diseases of British military hospitals, p. 154. 155.

Est ḥ. Καῦσος tertianæ febri ὀπογενης, ut qui ab iisdem causis, eodem anni tempore et iisdem corporibus, provenit, a quibus et tertianæ febres excitari solent. In tertiana intermittente, primum rigor, deinde απυρεξία est; verum ardentis exacerbationes nullo cum rigore fiunt, nec unquam integre solvuntur, sed modice tantum remittunt. (Gorracus diff. in voce καῦσος.) Vide Pringle's obs. part 3. c. 4. § 2. p. 186.

In regionibus humidis, si tempestates adversae sunt, febres intermittentes, non solum incipientes signa putredinis praebent, sed male curatae, in febrem malignam vertuntur, cum petechiis, maculis lividis, vel viscerum sphacela. Porro, quæcunque

BILIOSIS PUTRIDIS. 3

Hujus dicti veritas clarius patebit, si fere imperceptibiles gradus, quibus diversae species, inter se proprius accedunt, perpendamus; et quam saepe eveniat, ut febris continua in remittentem, inde in intermittentem vertatur, vel, prava curatione adhibita, contrarium ordinem sequatur, consideremus *.

HAEC igitur varietas non tam oriri videtur ab cunque medicamenta in intermittentibus profundit, efficacissima adversus putredinem sunt. (Pringl. append. exp. 13.)

Febres in Indis Occidentalibus, cum signis inflammationis ultra primas 24 horas, raro apparent; postea enim vel putridae, vel malignae, vel nervosae fiunt. Eaedem etiam, primo in remittentes et deinde in intermittentes, non raro subsident. (Essay on the more common West-India diseases, by a physician, p. 24. 25.)

In Caroli-oppido, exeunte mense Junio, anno 1732, cum nulla Aura per aliquot hebdomas aestum torrentem refrigerasset, adeo saeviebat febris maligna biliosa, et tam acuta et pestifera erat, ut multis, post diem secundum vel tertium, mortifera esset. A coeli vero temperie in frigidorem versa, mitescit, et in febrem intermittentem mutabatur. (Moutriei dissert. med. inaug. p. 8. 9.) Hyeme appropinquante, febris haec semper mitescit, sensimque in intermittentem vertitur. Ibid.

* Si febris, in calore intermittentis, admodum vehemens est, prava eam curatio in acutam continuam facile mutat. Nonnulli vero epidemici intermittentes, in certis coeli statibus, circa initia, febris ardentis speciem praeseferunt, quae mox deinde in quotidianas aut tertianas eunt; nec e contrario raro quotidianae, calida in principio curatione, in ardenter febrem commutantur. (Huxham on fevers, p. 19. 20.)

harum specierum differenti natura, quam ab ea-
rundem, quarum natura communis est, majori vel
minori vehementia. Quae vehementiae diversitas,
a vi et numero diversarum caifarum, eas efficien-
tium, pendet, siquidem conatus naturae malo
physico, seu periculo, sunt proportionales *. Et
auctores, vel pro earum typo, vel pro symptomati-
bus dominantibus, diversa nomina iis attribue-
runt.

ITAQUE, si est febris continua putrida, cum
nullis paroxysmis aut exacerbationibus, sed a
principio ad finem unicam accessionem habet;
est *synochus biliosa* GALENI †, seu *synochus putrida*
RIVERII ‡.

Si nullam habet intermissionem, sed alternis
diebus exacerbatur, cum exiguo aut nullo frigore,
praeterquam in initio morbi, est *tritaeophobia* **.

* Accessio est brevior aut longior, permultam majoris ac
minoris obtinens differentiam, vel propter quantitatem et qua-
litatem ipsius bilis, vel propter aegri vires, vel propter pia-
fentem tunc in aegro corpore dispositionem. Bilis enim copi-
osior, longiore, quam paucior, efficit accessionem; tenuis, brevi-
orem, quam crassa. Sic vero et vires validiores, breviorem,
imbecilliores longiore. Et corporis dispositio rara quidem,
breviorem, densa vero longiore. (Charter. Galen. de dif.
feb. 1. z. c. 3.)

† Ibid. c. 1. z. de crisibus, cap. 6.

‡ Prax. med. l. 17. c. 2.

** Bagliv. de prax. med. c. 9. p. 54.

Amphimerina, autem, est febris remittens, paroxysmis quotidianis vespertinis *.

Haemitritaea porro dicitur, in qua, etiamsi singulis diebus accessiones invadunt, tamen uno die acutior febris est, duplicato etiam horrore, altero vero mitior †.

VERUM harum febrium differentiae a pravis symptomatibus quoque desumuntur. Quando igitur extrema frigent, et tota cutis exsanguis, frigida, et cadaverosa videtur, dum calor summus interiora occupat, cum siti, linguae siccitate, moerore, et anxietate, *Lypivia febris* GALENO appellatur ‡.

Si anxietas et animi dejectio, quae plerumque in initio paroxysmi eveniunt, usque ad lipothytmiam augentur, cum cardialgia, summa virium prostratione, et contractione pulsuum, est *Febris syncopal is AVICENNAE* ||.

Elodes dicitur illa febris, in qua sudores perpetuo funduntur, quibus fere sempermadent aegrotantes **

Epiala, quando, eodem tempore, per universum corpus, in minimis punctis, passim, calor et frigus alternatim sentiuntur ††. Si febris est con-

* Sauvag. nos. method. claf. 2. ord. 2. gen. 6.

† Hippoc. Coi sect. 7. de morb. vulg. l. 1.

‡ Ibid. l. 2. c. 4.

|| Lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 53.

** Galen. com. in iii. epidem. sect. 3. sent. 37.

†† Galen. de dif. feb. l. ii. c. 6. lib. de inacq. temp. cap. 8.
tinua,

tinua, raro singulis, saepius alternis diebus remittens, cum frequentibus aegritudinibus, nausea, vomituque fere perpetuo, *Tritaeopha affodes* nuncupatur *.

Si febris est ardens, et praeter nauseam, vomitumque biliosum, tormina, tenesmus, dejectiones fuscae, virescentes, vel atrae, putridae, foetidissimae, accedunt, *Dysenteria atrabilaria* appellatur †.

Si his symptomatibus gravibus, modo memoratis, aurigo, aut cutis decoloratio, circa tertiam, ab initio morbi, vel quartam diem, supervenit, est *Febris ietterodes*, seu *Febris flava* Indorum Occidentalium ‡.

Si illa ardoris febris species sese ostendit, ubi vomitus, singultus, tensio, calor dolorque acutissimus, in tota ventriculi regione saeviunt; si quietissimi sunt aegri, corpora sua jactant, manibus tremunt, moerent, et nimis calida per os assumpta, nullum in ventriculo caloris sensum edunt, *HIPPOCRATI Typhos* vocatur ||. Deni-

* Lancif. de non. palud. effluv. l. ii. epid. ii. c. 3.

† Foeſ. Hipp. § 2. p. 191.

‡ Si febris flava a remittente vel intermittente distingueda esset, sola discrimina, omnium signorum vehementia, majorque febris vis, eo tempore ingruens, quo etiam plus remissionis fore, aliquis credidisset, dabat. Uterque febris ab iisdem propemodum notis incipiebat; inderdum, sed ratus, cum horrore. Vide obſervat. Huckii a Pringelio relatam, part 3. c. 4. § 4. p. 205.

|| Chart. Hippoc. de intern. affect. c. 41.

que,

que, si febris ardens etiam contagiosa est, cum petechiis ad peripheriam corporis in forma macularum apparentibus, *Febris maligna vel petechialis nuncupatur* *.

HAE sunt hujus morbi varietates, quibus solis memoratis, satis patet, etiamsi auctores mire nomina multiplicaverunt, tamen, Dei gratia, numerum morborum non augeri.

LONGIUS quam utilius hoc opusculum foret, si de singulis seorsim tractarem; nec necessarium quidem videtur; quoniam eadem fere omnibus convenient remedia, quorum nonnulla ex medici judicio magis vel minus solummodo varianda sunt †. Universas igitur sub *Febris biliosae putridae* communis nomine tractare decrevi, quae febris continua est, cum exacerbationibus plerumque, interdum tamen sine iis. *Putrida* autem haud inepte dicitur, quoniam a naturali statu humores multum degenerantes, in putrescentem naturam maxime tendunt. *Biliosa* vero, ob bilis copiam, sursum de-

* Junceri conspect. med. theoret. pract. tab. 70. 72.

† Etsi variae sunt febris continuae putridae species, earum tamen omnium curationem simul describere statuimus, quod eadem fere omnibus convenient remedia, quorum nonnulla secundum magis et minus tantum varianda sunt; quod in medici judicio et artis usu, magis quam praecepsis particularibus, dependet. River. prax. med. l. 17. c. 2. Vide Cleghorn's diseases of Minorca, p. 170.

orfumque ejici, in hoc morbo solitam, nuncupatur *.

HISTORIA MORBI.

HIC morbus circa medium autumnum, vel ci-
tius, in regionibus calidis, fere semper gra-
fari incipit, et desinente coeli calore, definit: diu-
turnior vero vel brevior esse, pro varia temporis
facie, consuevit; et ob eandem quoque causam
faevior aut mitior; aliquando, alio etiam anni tem-
pore, unum aut alterum hominem praeter con-
suetudinem, petit.

VITIA plerisque communia, prout in functio-
nibus vitalibus, naturalibus, animalibus, aut in
qualitatibus sese ostendunt, ordine quodam me-
morabo.

IN *functionibus vitalibus* pulsus febrilis, inae-
qualis, et inordinatus, respiratio frequens, densa
et anhelosa est.

* Aestate sanguis adhuc viget, sed et bilis exaltatur, per aestas-
tem etiam ac autumnum bile corpus abundat; autumno autem
atra bilis plurima est, et fortissima. Hippoc. lib. de nat.
hom. § 14.

In omnibus putridis, malignis, et petechialibus febribus,
materies biliosa maxime sine dubio abundat. Huxham on fe-
vers, p. 112.

Peritissimus Lanio, bilem majori copia, mense Julio, quam
Januario, fluere, observavit. Robison on the virt. and operat.
of med.

B I L I O S I S P U T R I D I S . 9

In naturalibus, firmiorum ciborum, praesertim carnium et juscularum, nausea, frigidarum et subacidarum potionum, ingens desiderium sunt ; praeterea, vomitus bilis, dejectiones biliosae, oris et cutis halitus male olens, urina varia redditur.

In animalibus, anxietas, perpetua corporis quietudo, virium prostratio, laffitudo summa, vigilia fere continua, vel sopor, et per insomnia follicitae imagines turbant ; mentis aberrationes, animi impatientia, delirium, phrenitis, coma, convulsio, nascuntur.

POSTREMO, in *qualitatibus* ; in initio sunt frigus et horrores, sine tremore, sed qui, a levi situs mutatione, facile redeunt. Huc protinus accedit, calor cutis summus, mordax, in diversis locis inaequalis, atque etiam circa praecordia in ardorem auctus, in extremitatibus saepe remissior, imo aliquando in frigus versus. Dolor capitis et lumborum, oris et faucium aestus maximus est. Lingua arida, sicca, oculi rubri, auriginosi, cutis quoque auriginosa et decolorata, et in morbi declinatione, maculae purpureae, lividae, in diversis corporis partibus apparent.

HEAC mala varie, in diversis aegris, complcantur, et, pro majore aut minore illorum violentia, morbus ipse a se magis minusve differt. Ut igitur res tota animo clare concipiatur, in duas spe-

cies deduci debet, quarum prima *cholerica*, altera *ardens febris* dicatur.

PRIUSQUAM *febre cholericā* corripitur quisquam, plerumque duobus vel tribus diebus dolorem capitis, lumborum, et extremorum queritur, cum sensu frigoris, debilitate, vertigine, lassitudine spontanea; cibi nullum desiderium habet, quod deinde magis magisque ad nauseam accedit. Tunc ab horripilatione febris incipit; pulsus in plerisque magnus, durus, et frequens; in quibusdam tamen durus et parvus, in aliis parvus et mollis. Gravitas per totam regionem hypochondriacam sentitur, quam affecti ipsi, quasi pessulum plumbeum premere sese dicunt; eadem indies dolorem magis magisque creat. Huic vomitus biliosus, dejectiones biliosae, dolor capitis mox superveniunt, et omnia priora maxime augentur. Animus dejicitur; vultus fit ruber; oculi rubri, lucem refugiunt; calor cutis ingens, digitum tangentem quasi pungit; cibum fastidiunt; lingua flava, saepe materie viscida obliterata, alias arida et sicca apparet; sitis interea magna est. Per totum morbi cursum, vigilia pertinax, vel somnus levis, per quem animi imagines maxime turbant, vires haudquam resiciens est: vigente jam febre delirium ferox. Materies per vomitum biliosa, caustica, fauces rodens, excorians, rancedinem inducens, dentes stupefaciens, ejicitur: per alvum, fla-

BILIOSIS PUTRIDIS. II

va, acerrima, viridia, nigra, cruenta, foetida, ca-
daverosa, aut homine parum consciente, redduntur;
quandoque post conatus varie magnos, exiguum,
aut vix aliquid quavis via exprimitur, idemque
magis ad superiora quam inferiora tendit. Quo
tempore cutis auriginoso colore esse incipit. U-
rina admodum varia, in variis hominibus, quibus-
dam fere naturalis, aliis rubra, aliis flammea, mul-
tis biliosa, ictericorum instar, aliis pellucida, ple-
risque turbida, sine sedimento, ac jumenti urinae
similis, effertur.

PROCEDENTE morbo, pulsus fit mollior, quiet-
tior, inaequalis, omnino inconstans, saepe inter-
mittens; idemque, vix e pulvino sublato capite,
cum frigore, sudore gelido, viscoso, defluente, eva-
nescit; simul labia, facies, extrema, et ungues,
livescunt. Cursus morbi fere talis est, ut, altero
quoque die, omnia symptomata remittant, sexto
excepto; quo ingravescunt omnia, et morbus ple-
rumque septimo judicatur.

In febre ardente, omnia multo graviora sunt; ae-
ger protinus ab initio, virium prostratione, anxi-
tate magna, dolore capitis intenso, frigore, horro-
ribus insignibus, corripitur. His cito superveni-
unt calor summus, aestus vehemens, ardor praecor-
diorum, spiritum incendens; lingua arida, rubra,
florida, nigra, aspera, exusta, vox clangosa evadit;
fatis immensa, et potionis, potissimum frigidæ et

subacidae, desiderium inexpleibile est ; labia et dentes nigra tenacissimaque forde teguntur. Urina admodum varia, aliis rubra, aliis coccinea, aliis nigra, in fine morbi, fit saepe sanguinea. Respiratio difficultis, laboriosa, et ore aperto, peracta. Pulsus in initio magnus et durus, mox subito parvus, vacillans, celer, inaequalis, et vix perceptibilis, est. Aegri oris amaritudinem sentiunt, moesti, fastidiosi, et insolentissimi, anxietudine miserabiles, omnis positurae et loci impatientissimi, fiunt. Sudores prorumpunt, vagi, inordinati, frigidi, sine levamine, nisi in fine morbi, quo tempore quidem prosunt. Hypochondria sunt dura, tensa, tumida, et adeo sensilia, ut ne tactum quidem eorum aegri perferre queant ; quae sensilitas nonnunquam versus dorsum, imo toto corpore, extenditur. Alvus interea dura, et fere prossus constricta, nisi quod diarrhoea quandoque in declinatione supervenit, quo tempore haec critica evadit. Progrediente impetu morbi, extrema livescunt et frigent, dum calor summus interiora, tamen suspiriis et singultu comitantibus, occupat. Facies pallet, plumbi coloris est, cutis decolor, oculi rubri, feroce, scintillantes, quasi pulverulenti, gummosi videntur ; maculae circa collum et pectus rubro-lividae apparent, vel omnino nigrescunt. Sanguis tunc ita diffolitus est, ut non solum vomitu, dejectione, et mictu, sed naribus etiam, ore, auribus, oculis, vesicatoriis

vesicatoriis admotis, et quandoque poris cutaneis, viam sibi faciat.

IN fine, dysphagia, cataphora, delirium continuum, syncope, lipothymia superveniunt, adeo ut corpus erectum aegri tenere non possint. Idem ludere incipiunt, motus tremulos peragunt, tactum refugiunt, floccos digitis legunt, cadaver ollent; dolor subito desinit, interiora frigent. Nunc aeger, sensibus externis orbatus, rationis omnino expers evadit, nullum dolorem molestiamve amplius sentit. Tendines subiliunt, aphonya, asphyxia, spasmi, vel convulsiones adoriuntur, et mors denique saeva miserum e medio tollit.

DIAGNOSIS.

SI post cibi fastidium, nauseam, et dolorem hypochondiorum, pulsus febrilis fit, cum calore mordaci; si magna est anxietas et virium prostratio; ad haec, si vomitus biliosus, seu perpetuus vomendi conatus, atque vertigo accedunt, et sensus laesi apparent, liquet hanc esse febrem biliosam putridam.

HIPPOCRATES nec ephemeralium, nec synocharum, mentionem facit, in scriptis suis; sed febres fere omnes continuas, inflammatorias, item quae synochae dicuntur, tam simplices quam compositae, sicut et putridas et malignas, appellat ardentes. Nihilominus tamen insignem inter has febres esse differentiam,

differentiam, luculenter attenta observatio symptomatum singulorum, accessionis et decessionis, hominumque quos petunt, et tempestatum quibus eveniunt, omnino docebit.

AB ephemera enim, et synocha, seu febre simplice continua, differt, quia a causis inflammatione simplice majoribus oritur.

SYNOCHA et ephemera nullam causam materialem manifestam habent *, et plerumque sanguine plenos, habitus laxiores, laute viventes, corpore puro invadunt; et potissimum tempore verno, ac in regionibus temperatis incident †. Hinc non tam insignis degeneratio solidarum et fluidarum corporis partium, nec tam magna plurium functionum laesio, observatur.

A FEBRIBUS inflammatoriis, seu symptomaticis, differt, quia in his in certis partibus inflammatio fit, id quod in pleuritide, peripneumonia, hepatitis, vel in aliis partibus internis inflammatis, manifestum est ‡.

A FEBRE nervosa in hoc discrepat, quod pulsus in ea vix frequentior est quam naturalis; vel si

* Omne illud quod in fluidis solidisve corporis partibus, a sanitatis legibus degeneravit, sive ante febrem natam praextiterit, sive per febrem factum fuerit, sub nomine causae materialis febris solet comprehendendi. (Van Swiet. § 594. 1.)

† Hoff. de feb. ardent. et choleric.

‡ River. prax. med. l. 17. sect. 2. c. 4.

est,

est, saltem pro majore frequentia, minor sano pulsū reperitur, ob quam causam nonnulli eam a febrium classe ejici debere arbitrantur *. Praeterea symptomata morbi periculo non respondent; sed sūb bona specie, quod ad calorem, pulsum, et urinam attinet, clam aegro insidiantur †. Postremo,

A morbis exanthematicis omnibus ita inter noscitur; in exanthematicis, eruptiones sunt vel miliares, variolosae, rubeolae, bubonaceae, et ante morbi vigorem etiam prorumpunt. Contra in febre putrida, exanthemata non nisi morbo vi gente, vel etiam inclinante, superveniunt; et saepius regimine calidiore efficiuntur, eaque, ut plurimum, sunt maculae, non vero tumores.

C A U S A P R O X I M A.

VARIAE fuerunt opiniones, in diversis seculis, de causa proxima hujus morbi; quarum nonnullas obiter attingam.

* Vifone in libello dell' uso delle battiture.

† In febribus putridis, malignis, et petechialibus, sanguis proprie dictus, afficitur; contra, febres lentae et nervosae in lympha et succo nervoso federe videntur. In prioribus, humorum corruptio et sanguinis dissolutio manifesta erant, sed febris lenta nervosa diu durat, sine insigniori putredinis indicio. (Huxham de febribus, p. 72.)

Praeterea, febris lenta est morbus omnis tempestatis anni, et a corporis humiditate oritur, quum cibos humidos et copiosum potum cum carnis exforbuerint, et madentes extiterint. (Charter. Hipp. de intern. affect. c. 42.)

CELEBER. professor Leidenensis DELEBOE SYLVIUS, eam bilis et succi pancreatici effervescentiam esse existimavit: quorum illam alkalinam, hunc acidum esse credidit *. Sed omnes recentiores hanc sententiam irrident, quae succum pancreaticum acidum esse statuit: et ingeniosiss. MACBRIDIUS, experimentis suis, bilem, etiam putridam, notas perobscuras naturae alkalinae monstrare, palam fecit †.

CAUSAM hujus morbi proximam, bilem in sanguine putrescentem GALENUS constituit ‡. Sed quaestio est, inter physiologos nuper multum controversa, an ullus omnino liquorum secretorum in sanguine praextiterit. Ego quidem opinor nullos in propria forma latere. Licet enim unius excretionis defectus, aliis auctis, suppleri utcunque possit, (e. g. sudor deficiens urinae profluvio abundantem), tamen aucta excretio, nullam suppressae notam ostendit. Et celeber. professor noster MONRO, filius, nullum semen esse in animalium sanguine rite opinatur, alias illum foetorem, qui maribus proprius est, animali castrato, majorem esse futurum. Praeterea, etiamsi omnia, ad bilem conficiendam necessaria, sanguine contineantur; tamen eadem, bilis ingenium possidere non dicen-

* Prax. med. app. tract. 9. p. 797.

† Effay 2. exp. 29. 30.

‡ De dif. feb. c. 1. & 2. de crisibus, c. 6.

da sunt. Multiplex enim experientia docet, venam portarum, aut ejusdem ramos obfaretos, icterum non efficere *. E contrario, inflammationem, vel periculofissimam, in jecore concitari posse, sine ulla vel minima icteri specie, constat; patetque, jecur ipsum, mirum in modum suppuratione consumptum esse, morbo arquato etiamnum profus absente. Et consuetudo fere quotidiana, schirrum, majorem jecinoris partem, sine ullo hujus morbi indicio, obsidere posse, docet.

SENTENTIA autem, plerisque recentioribus communis, haec est; humorem biliosum, putridum, alcalescentem, qui in stomacho et intestinis, praefertim in duodeno, hepate, vesica fellea, et ductibus hepaticis, sedem habet, tardatum, actionibus vitae turbatum, et prava curatione etiam magis accumulatum, totum sanguinem tandem inquinare †.

HAEC eadem sententia HIPPOCRATIS fuit, qui omnium febrium originem ex bile, plus minus meraci vel vitiosa, deduxit ‡. Cui multi celeberrimi medici assenserunt; partim quod, omnium partium corporis animalis, bilem maxime corruptibilem esse, crediderunt; partim ob bilis copiam; partim etiam ob putentem naturam illius, in hoc morbo, effusae.

* Medical essays, vol. 1. p. 247.

† Tissot's essay on bil. fev. p. 26.

‡ Hippoc. de prisca medicina, Foef. p. 16.

QUOD ad harum rationum primam attinet, etiam si auctores gravissimi fere innumeri adduci possint, qui eam defendunt, tamen ab experimen-to, quod fundamentum solum est, quo medendi usus niti debet, demonstratur, bilem in statu naturali, multo minus in putredinem proclivem esse, aliis animalium corporum partibus. RAMSAEUS enim cum sermonem inauguralem suum conficeret*, ut bilis putrescentiam examinaret, in unam phialam infudit, bilis recentis semiunciam, cum aquae fontanae uncia una et dimidio; et in alteram, carnis ex eodem animali recentis, et in pulpm contusae, drachmas duas, cum aquae fontanae unciis duabus. Utramque phialam aper-tam reposuit in hypocausto, ad calorem homi-nis fani, calefacto. Post horas sex, caro odo-rem summe foetentem, cadayerosum praebebat, bilis vero odor nequaquam mutatus fuit; et non nisi post horas quadraginta octo, quando odo-rem velut moschi expirabat." PRINGELIUS, bilis putrefactae rancedinem non comparandam cum rancedine carnis putridae, observavit †. MAC-BRIDIUS dicit eam multo etiam minus pungentem, et molestam esse, et odorem olei olivarum corrupti expirare ‡.

NEQUE bilis secretae abundantia verisimilior

* Exper. 25.

† Append. exp. 2.

‡ Essay 2. exp. 28.

ratio est, quare hujus morbi causa bilis dicatur, quam urinae profluvium immodicum, diabetis, salivatio, variolarum, aut febris nervosae *; aut quaelibet alia aucta excretio eorum morborum, quos, e contrario, saepe tollit.

Si mihi liceat, ea qua par est verecundia, meam opinionem interponere; haec bilis copiosa effusio, quae plerumque in hoc morbo evenit, nulla alia quam ea excretio est, qua natura materiem morbificam ejicere conatur. Ut enim, in quovis alio morbo, una quaedam semper via est, qua natura se liberare consuevit; sic in hoc quoque, materies morbifica, quasi attractione quadam electiva, si sermone chemico utendum est, in hepar allici videtur; qua quidem hepar, quasi communis corporis sentina redditur, et in quam omnis humorum colluvies confluit et cumulatur †. Vix enim ac ne vix quidem exemplum inveniri potest, quo febris putrida, absque copiosa bile effusa, in bonam finem abiit ‡.

HANC opinionem bilis *qualitas* adeo non refutat,

* Vide Huxham on fevers, p. 88.

† Neque hoc commune dictum refellunt quaedam exempla rarissima, in quibus bilis secretio, ab obstructionibus in hepate impeditur (ut memorabimus postea) inventa. Ipsa enim haec impeditio, materiem morbificam, quae ejusdem causa est, in hepar tendere, potius probare videtur.

‡ Etiamsi natura morbum non semper integre solvere potest, tamen in hoc, ut in aliis morbis, eam excretionem quae maxi-

tat, ut e contrario probare videatur. Omnes enim excretiones criticae, putridissimae, et ingratissimae sunt. Et in hoc ipso morbo, omnes aliae excretiones, urinae, fudoris, et reliquae, (quas nemo causas esse suspicatur), admodum putent, et pessime olent.

BILEM igitur causam proximam hujus morbi non esse, jam patere videtur. Est vero materies quaedam vel sanguine recepta, vel in eo nata, quae fermenti putridi vicem agens, omnes humores, citius aut serius, pro ejus majore vel minore acrimonia, in naturam similem sibi format. Hoc, signa putredinis quae cito apparent; aegrotantium excretiones omnes; sanguis naribus, utero, renibus, et aliis corporis partibus, copiose profluens; ejusdem detracti resolutio, nec in vasa deinde concrecentis; maculae purpureae lividae, in ultimo stadio corpus ubique distinguentes; postremo, praeterea reliquis, diversae hujus morbi causae, manifesto probant.

C A U S A E R E M O T A E.

CUM igitur hoc fermentum putridum duplex sit, causas utriusque remotas, primumque ejus, quod intus nascitur, exponam.

me benigna sit, non raro monstrat. Hinc in hominibus morbis pestilentialibus interempiis, vesica fellea, ductus choledochus, ut et duodenum et ventriculus, bile referta fere semper inveniuntur. (Traité de la peste, &c. Paris 1744. 4to.)

SED

SED imprimis observandum est, omnia animalia
huc usque cognita, si pauca exsucca infecta excipias,
sponte in putredinem ruere. Sed animalia omnia, ex
alimentis quibus vescuntur, constant, et haec ple-
rumque acescentia sunt. Quaestio ergo, inter priores
medicos, diu fuit, quomodo haec in putredinem
mutatio efficiatur; siquidem eam a fermentatione
prorsus diversam esse habuerunt? Sed in hac re
erraverunt. Putredo enim et fermentatio, sive
haec vinosa seu acetosa sit, ejusdem mutandi acti-
onis diversae solum partes sunt; ut eo manife-
stum est, quod in eadem re, alia aliam, ordine ex-
cipiant. Quaecunque enim res fermentationem
vinosam et acotosam passa est, ea in calido satis loco
(qui calor pro varia rei natura variat) relicta, in
putrescentem quoque naturam ruit. Porro, inge-
niosus MACBRIDIUS, ultra controversiam, experi-
mentis suis, alimenti coctionem, veram fermenta-
tionem esse, probavit*.

SI enim omnia, ex animalium et vegetabilium
partibus, cum idonea aquae copia commixta, et in
calore debito locata, ex propria earum natura,
sine fermenti ullius auxilio, sponte in fermentati-
onem transeunt; quid obstat quo minus eadem,
corpore recepta, quoque fermentent? praesertim
cum et per fauces et oesophagum descendantia, et
postea ventriculo et intestinis recepta, cum hu-

* Essay 2. tab. 1, 2.

rhoribus commiscentur, qui, etiam si illorum propria natura a fermentatione aliena esset, eam statim concitarent *.

PORRO, quoniam haec fermentatio continenter progreditur; cum ingesta profus in naturales humores mutata, primum et secundum stadium jam praeterierint, nisi iisdem subinde novi, ex alimento acescentis naturae, humores succedunt, citissime in tertium stadium, quod ipsum putredo est, trans-eunt; quam ob causam, fames seu cibus minimus, rite inter causas hujus morbi habentur †.

SED alimenta acescentia et humores animales debent proportionis normam sequi. Si enim vel copia horum, bene concoctorum, augetur, vel illa nimis parca copia ingeruntur, aequum humorum putredini locus datur. Hinc fani et plethorici maxime in hunc morbum proclives sunt. Praeterea, omnia ingesta non sunt pariter idonea ad alimentum acescens reparandum. Multa enim jam prima et altera fermentationis parte confecta,

* Boerhaavii et Hoffmanni opinio, de saliva et succo gastrici cum vegetabilibus in fermentationem proclivitate, experimentis Macbridii cumulate probatur. Macbrid. essays, tab. 2. No. 2. 4. 6. Vide etiam Pring. Append. exp. 29. 30. &c.

† Animalia fame confecta, sanguinis vel aliorum humorum nulla inopia, sed vitiata et putenti eorum natura pereunt. Hinc in urbibus longa obsidione clausis, ut plurimum post famem invadit pestis, et soluta obsidione, ac copioso victu allato, statim cessat pestis. (Diemerbroeck de peste, l. 1. c. 8.)

sponte in putredinem tendunt. Hinc omnia genera cibi animalis, nisi debita vegetabilium acescentium copia iis addita, hunc morbum potenter promovent*. Cibi impuri et corrupti quoque ad eundem finem maxime tendunt †.

FRUCTUS inter causas hujus morbi enumerari solent; sed hoc revera minus apparet. Siquidem, ut SYLVIUS obseruavit, bilem non tam corrumpere quam turbare, atque ad effervescentiam concitare, videntur ‡. Et in curatione, ut suo loco postmodo ostendam, multum valere reperiuntur.

QUAMVIS autem alimentorum digestionem, fermentationem esse, judicavimus, sola tamen haec oeconomiae animalis negotiis parum sufficit. Ut enim nulla fermentatio animalium humoribus quicquam simile efficere potest, ita ne intus qui-

* Solis vegetabilibus lac acescens; si vero carne nutriatur canis, alcalinum est, adeo ut recens lac, chartae succo caryophyllorum imbutae, viridem colorem saepe inducat. (Young dissert. inaug. de lacte, p. 53.) Armeni omnium nationum minime ad pestem dispositi sunt; observo enim illos paucissimis uti carnis; cepis, porris, alliis, vinoque maxime utuntur. (Timoni's account of the plague at Constantinop. in Phil. Transact. abridged, vol. 6. part. 3.)

† Dum in obsidione Bredana fame pressi, incolae impuro vietu uterentur, saevissima pestis grassabatur; interimque regius exercitus, qui hanc urbem obsidebat, omnibus ad vitam necessariis instructus, a dira hac lue immunis erat. (Vander Mye de morbis Bredanis, p. 17.)

‡ Prax. med. l. 1. c. 44.

dem alimentum perfecte in illos mutatur, sine vivorum actione vasorum. Quanto igitur validior viscerum ac vasorum actio est, tanto citius haec mutatio fiet; eademque ratione, humores in putrefacentem naturam proclivius ibunt*. Hinc adolescentes, sani et robusti, praesertim qui sub temperato vel frigido coelo vixerunt, quique fibris tensis et rigidibus, humoribus bene concoctis, praediti sunt, primo in regiones calidiores adventu, hoc morbo maxime periclitantur.

Eodem quoque, nimia cogitatio, vel corporis exercitatio, referri debet; quibus nihil magis humores incendit, itaque necessario hos in putredinem cogunt. Si enim aliquis, valido cursu vel alio labore, corpus exercuerit, quam oolidus sudor, quam acris et foetida redditur urina? Parique ratione, acutissima febris intra 24 horas potest corrumpere omnia; id quod urina foetida, faeces alvinae cadaverosae penitus, halitus oris putridissimus, clare testantur.

CIBI conditi, vegetabilia stimulantia, et, ut dici solent, alcalescentia, medicamenta cardiaca, spiritus ardentes, et sales alcalini, non humores solvendo et putrefaciendo, ut existimari solet, (hi enim vim antisepticam possident †), sed in contractiones

* Hoc observationi Macbrideanae convenit, qui, vasa quae alimenta mixta continebant, crebrius agitando, fermentationem multum expeditam reperit. (Essay 1. p. 46.)

† Vide Pringelii et Macbridii exper.

frequentiores

frquentiores solida viva stimulando, in corpus a-
gunt; quo fit ut haec majori vi humores conten-
tos impellant: quapropter ad nimiam exercitatio-
nem omnia referenda sunt.

CALOR, sicut et thermae, insolatio, omni aevo
semper putredinem augere crediti sunt. Etiam si
enim calor fibras resolvit, ideoque attritum inter
has et humores minuit, tamen haec res caloris
augmentum non satis compensat. Hinc HIPPO-
CRATES aestivis morbis, plurimos adnumerat, in
quibus humores in putredinem degenerant. “Ae-
state vero accidunt et febres continuae, et *καύσοι*, et
tertianae plurimae, et vomitus, et diarrhoeae, et
oris exulcerationes, et genitalium putredines, et
pustulae quaedam miliariae *.” Et GALENUS pu-
tredinis naturam describens, “Putredo,” inquit,
“est totius corporis putrescentis in corruptam
naturam, externo calore, mutatio; non enim proprio
calore corruptitur quidquam †.”

HAE sunt causae remotae quae hoc fermentum in corpore gignunt. Verum id praestare una quaevis nequit, atque pro earum numero, quae simul concurrunt; vel pro earundem majori vel minori violentia; ita major vel minor humorum in putredinem proclivitas erit. Vel in aliis verbis, “Erit in ratione composita ex simplice par-

* Sect. 3. aph. 21.

† Method. med. l. 11. c. 8. Charter. tom. 10. p. 254.

tium ignearum et stimulantium copia, simplice tensione solidorum et quantitate fluidorum, et duplice velocitate qua invicem colliduntur *.”

HARUM causarum actione conjuncta, calor maximus incenditur; hinc calore sanguinis aucto, idem rarer factus amplius spatium occupat. Sed haec hydraulica lex est; si cujusvis liquoris copia, vasis recipientibus, eadem magnitudine manentibus, aucta est, ejusdem motus quoque augeatur, quo circuitus ejus, dato tempore, perficitur. Itaque in hoc casu, motu sanguinis aucto, omnes secretiones, pro ratione, etiam augentur. In corpore enim animali, si cetera paria sunt, eo major liquoris secreti copia erit, quo major liquoris secernendi copia, ad organa secernentia, eodem temporis spatio, adfertur. Hinc humorum pars tenuior, volatilis, spirituosa, aquosa, de poris superficie corporis externae et internae aëri expositis, dissipatur; unde defectus subtiliorum, et crassamentum inspissatur. Dominantibus vero

* Partium ignearum ab insolatione, thermis, potu fervido, spirituoso, cibis aromaticis, salitis, alcalescentibus, condimentis cardiacis, sudorificis, acribus, copia crescit.

Tensio solidorum respondet, viribus cordis contractilibus, simulque impedimentis sanguinis per vasa minima transituri, tonoque fibrarum vel nativo, vel per laborem assuetum, animi perturbationes, et similia, excitato.

Velocitas est ut radix virium quae cor, musculosque contrahunt, in febribus, caloribus, animi affectionibus, cursu, equitatione, vociferatione, &c. impensarum.

his

his causis, et subtilissimis humoribus diffatis, solida siccata rigescunt; olea et salina agitantur; continuo attritu acuuntur; humores iterum attenuantur; volitilia, acriora, putrida evolvuntur; et haec materies evoluta, et acerrima facta, causam hujus morbi proximam praebet *.

GALENUS hanc materiem, quae vasorum et ceterarum causarum modo memoratarum actione gignitur, ab ea, quae a fermentatione putrida oritur, omnino diversam esse, existimavit; et mediae naturae esse inter hanc et eam, quae πεπτικη, seu concoctio, dicitur, credidit †; cui ego ab hac posteriore, illam, de qua hic agitur, differre, consentio,

* Mutationum, quas vegetabilia subeunt, ut in animalium naturam mutentur, haec est praecipua; quod eorum acida componuntur, impediuntur, et ita conteruntur ut amplius sentiri nequeunt. (Macquer, chem. vol. 2. p. 335.) Sed in hoc ulteriore naturae opere (de quo modo egimus), acidum iterum evolvi, subtile redi, et attenuari videtur; sed ita penitus cum olei parte confusum, ut salem volatilem efficiat. (Vide Macquer, vol. 1. p. 130.)

Hinc fit ut caro etiam purissima, alkali volatile, inter destillandum, emittat, licet non tam facile hoc faciat, quam caro putrefacta; quod tamen vegetabilia recentia, atque etiam lac, in animales humores, nondum penitus mutatum, non faciunt. (Macquer, vol. 2. p. 347. 358.)

† Itaque si innatus calor a propria temperie plurimum recesserit, sanguis, ut in cadavere, putreficit. Si autem ille adhuc aliquam vim retinet, mixta quaedam sanguinis mutatio fit; partim quidem ab ea, quae praeter naturam, partim vero

sentio *. Sed a priore eandem quoque diversam non esse, effectus, qui iidem prorsus sunt, ostendunt. Si, etiam comparatione exquisita, ratiocinari liceat, haec opinio verisimillima erit. Nonne enim alkali volatile, quod sola putredine fieri credebatur, nunc opere chemico fieri etiam potest †? Verum, ut fermentatio vinoso et acetoso, ejusdem in putredinem mutationis solum diversae partes sunt ‡, ita haec materies in ea parte procreari mihi videtur, in qua alkali volatile evolvitur ||.

NEQUE

ab illa, quae secundum naturam causa est; quarum ut illa quae praeter naturam est, putreficit: sic illa quae secundum naturam est, causa concoquit. (Comment. i. in prognost. Hippoc. Chart. tom. 8. p. 618.)

* Unde diatheseos inflammatoriae, et potentium febrium fomitis, discrimen oritur? Qui ab his tribus originibus, scilicet, differenti partium affectarum structura, differenti materiae morbificae natura, postremo ab hoc, quod nervorum actio, a potentibus humoribus prorsus vitietur, deducit; is, me judece, non multum a re aberrat. (Tissot on bilious fevers, p. 34. 35.)

† Plurimae earum rerum, quae partes, ad alkali volatile constituendum, necessarias continet, haud parvam ejusdem copiam, inter destillandum, edunt. Itaque tartarum, quod igne aperto combustum, in alkali fixum convertitur, in clausis utique vasis resolutum, alkali volatile emittit. (Macquer, chem. vol. i. p. 134.)

‡ Stahl.

|| Ingeniosus Gebar, in libello, qui inscribitur, Miscellanea philosophico-

NEQUE tamen hic morbus necessario toties excitatur, quoties haec materies morbifica in corpore gignitur. “ Alioquin omnes, qui in sole versantur aestivo, quique plus aequo moventur, aut vinum bibunt, aut irascuntur, aut moerent, febricitarent *.” Etiamsi enim ea in tantam acrimoniam iverit, ut fermenti putridi vicem agat, tamen ex corporis animalis instituto, diversis excretoriis, nempe per alvum, per vesicam, vel per cutem statim expellitur, et corpore sic expulsa, nullum deinde malum efficere potest. Itaque hic morbus, nisi illa intus retenta, incidere nequit. Quoniam vero in duabus illis excretionibus, quae per alvum et urinam fiunt, peragendis, non semper occupatur corpus, atque illa, quae per has vias excerni debent, vesicae cavo et toto amplorum intestinorum tractu colligi et manere aliquamdiu, et postea, certis temporibus, excerni solent; ideo, his excretionibus, absque magno sanitatis detimento, diutius carere possumus. Per-

philosophico-mathematica societatis privatae Turicensis, liquido probat, carnes putrescentes, vel plus, vel minus, vel nihil omnino alkalinae naturae ostendere, pro tempore, quo experimenta, post initium putredinis, in iis fiant. Easdem enim ait putre incipientes, cum acidis non effervescere, postea id manifesto facere; postremo, licet putredo usque maneat, tamen, quia alkali volatile totum exhalatum est, desinere.

* Galen. de feb. l. 1. c. 6.

spiratio
conspicitur rigoribus suo quando in iudeo-sinosis

spiratio autem sani hominis, licet modo parcior, modo copiosior observetur, nunquam tamen ex toto intermittitur; unde fit, ut haec excretio impedita, prae reliquis, materiem hujus morbi retineat. Quocirca, omnia quae liberam perspirationem inhibent, causae remotae hujus morbi dicenda sunt *. Hinc frigus in lecto calecentibus, vel utique aestuantibus, subito incidens, tanta mala excitat. Idem, omnium maxime nocet, maiorem caloris vim subito excipiens; hinc vestis maddida, tempestatibus calidis, vel decubitus in terra humescente; hinc frigora, et rores nocturni caloribus diurnis supervenientes, tot et tanta mala efficiunt. Ob eandem causam, autumnus morborum maxime ferax est, dum matutina frigora incautos mordent, qui diurni caloris impatientes, non satis muniunt vestibus corpora. Optime autem CELSUS, “ Per autumnum, propter coeli varietatem, periculum maximum esse + ”, monuit. Et SANCTORIUS ait, “ Adiapneustica, quae aestate malignam febrem, hyeme vix minimam alterationem

* Cum enim hujusmodi obstructione fuliginosorum vaporum transpiratio impeditur, putredo generatur in sanguine, intravinas redundante. (River. prax. l. 17. sect. 2. c. 2.)

Si perspirabile neque a calore febrili resloveretur, corpus illico ad malignam febrem praepararetur. Sanct. aph. 46. sect. 1.)

+ L. 1. c. 3. p. 33.

efficere

efficere potest, corpora enim acriori perspirabili aestate quam hyeme referta sunt *.”

ANIMI affectiones tristes perspirationem quoque minuunt, ut SANCTORIUS, in staticis aphorismis, monuit †. Atque solum timorem sat esse ad febrem malignam faciendam, vulgo credi solet ‡.

IDEM porro vigiliae nimiae faciunt, ut SANCTORIUS observavit || .

JAM hujus fermenti naturam, in corpore genitam, exponere conatus sum. Et causas etiam remotas, quae ad eum intus gignendum vel retinendum concurrunt, memoravi. Altera tamen, quam scriptores memoraverunt, adhuc restat; scilicet aër calidus et humidus, quem pro causa omittendum censui, quia omnes ad unum, de ejus agendi modo, erraverunt. Certe enim, afficiendo corpus ipsum, aut humores protinus vitiando, non agit. Siquidem sanguinis putredinem, *valida vasorum actionem*, quam maxime fieri, supra monstravimus. Contra, calor et humiditas, solida laxando, *eorum vim et potestatem* haud parum minuunt. Praeterea, eadem omnes humores etiam diluunt et attenu-

* Aph. 35. sect. 2.

† Vide de animi affect. sect. 7.

‡ Vide Lind's essay on the most effectual means of preserving the health of seamen, p. 113.

|| Sect. 4. aph. 30. Somno solito breviore, semper aliquid perspirationis prohibetur; quod nisi sequentibus diebus pleniore perspiratione compensetur, imminet febris periculum.

ant, quo partes nocentes salinae abluuntur, et variis excretionibus e corpore dilabuntur, et motus sanguinis tardior et aequabilior redditur. Quae quidem, una cum eorum aucta perspiratione, ob cutis resolutionem, causa esse mihi videtur, cur Africani et Indorum Occidentalium indigenae, febre biliosa putrida, vel, ut ipsi appellare solent, febre flava, quae advenis solis fere propria est, raro si unquam, corripiuntur*. Eorundem morbi multo mitiores, et naturae minus inflammatoriae, nostris sunt †. PRINGELIUS quoque, hunc morbum, a fermento putrido externo, corpore recepto, ortum; si materies putrida, eum faciens, in aëre humido genita est, magis cum accessionibus et remissionibus fese ostendere, observavit; eundem, si ab animalibus et vegetabilibus in aëre sicco putrescentibus natus est, ad febrem continuam malignam maxime spectare, addit ‡. Porro, si me-

* Hisce regionibus assuetos haec febris rarius, insuetos frequentius invadit: adeo ut indigenis Indis prorsus sit ignota; Aethiopes quidem, a partibus Africae exustis, raro aggreditur; saepius vero Europeos, qui his regionibus aliquamdiu insuevere: sed praecipue advenas, quos maxime infestat, quibusque funestissima est. Moultrie dissert. inaug. de feb. malig. bilios. Americ. p. 2.

† Sanguinem cum crusta coriacea, amplius bis in Indis Occidentalibus non vidi, qui sanguis ab advena, et pleno corpore detractus est. Effay on the more common West. Ind. diseases, by a physician, p. 23.

‡ Obs. part 3. c. 7. § 6.

dicinæ historias diligenter scrutemur, gravissimas et maxime pestilentiales febris putridæ species, ab aëre calido et sicco, profectas esse reperi emus. ARISTOTELES enim docuit, “Austros siccōs et nihil humentes, febres pestilentiales facere *”. “A sicca constitutione pestem fieri,” scribit AVENZOAR. RASES, “Aestate et autumno vehementer calidis et aridis existentibus, pestem maxime dominari,” ait. TITUS LIVIUS narrat, “Romae magnam pestem factam fuisse, propter ingentem siccitatem +”; qualem pestem etiam describit NICEPHORUS †. VIRGILIUS, in Creta ob corruptum siccitate et calore coeli tractum, pestem contigisse refert ‡. Et DIEMERBROECKIUS dicit, “Pestem Noviomaginensem, aestate vehementer calida et sicca, excitatam fuisse **”. Idem quoque observantissimus PRINGELIUS confirmat, “Eas tempestates gravissimos morbos afferre,” dicens,

* Prob. §.

+ Decad. 4. l. 1.

† Lib. xv. c. 10.

‡ ————— Subito cum tabida membris,
Corrupto coeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et lethifer annus.
Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant
Corpora, tam sterilis exurere Sirius agros.
Ardebat herbae, et victum seges aegra negabat.

Aenid. I. iii. ver. 147.

** De peste, lib. i. c. 3.

“ quibus aquae minimum coelo demittitur, et dies calidissimi sunt *”.

AERA vero calidum et humidum, humores nulla ex parte corrumpere, id probat, quod iis accidit, qui, nullis vaporibus putridis suspectis, hujusmodi aëri, pariter exponuntur. PRINGELIUS, “ Legiones Britannicas, castris in Zelandia positis, ubi nocentibus paludum vaporibus patebant, summopere aegrotare,” narrat. “ Naves vero, quibus Mitchilius praeerat, in alveo, inter Bevelandiam orientalem, et insulam Welcheren, stationem a gentes, per quem utrumque locum dira strage hic morbus grassabatur, secundissima tamen valedidine usos esse ; paludum enim noxa omnis, priusquam has attigit, vel erat correcta, vel in auras evanuerat †”. LANCISIUS quoque, “ eam urbis Romanae partem, quae Euro australi, paludes interpositas transflanti, objicitur, huic morbo expeditam solam esse,” certiores nos facit ‡. LIND, “ Homines,” inquit, “ mari navigantes, melius “ valent, etiam si ab ejus summis fluctibus perpe-

* Obs. p. 2. c. 2. § 2.

† Ibid. p. 1. c. 7.

Neque canales aquae fluentis, nec inundationes latas dummodo aqua alta est, tam noxios exhalare vapores, quam paludes vel prata, ubi aquae se in admissæ, iterum per fossas derivantur, observatum est.

‡ De noxiis palud. effluv. l. ii. epid. 3. c. 3.

" tuus humor summittitur ; quam ubi portum jam
 " intrarunt, vel terram proprius legunt, et ideo ha-
 " litui putenti, a terra remisso, proprius objiciuntur.
 " Quoque altius naves, Guineam petentes, flu-
 " minibus adversis, terrae interiora penetrant,
 " eo plures nautae in adversam valetudinem in-
 " cidunt. Contra, qui citra auras a terra venien-
 " tes, in alto se tenent, plerumque omni ex parte
 " fani esse perstant **. Sane mihi verisimile est,
 quod, sine hac potestate calescentis et humescentis
 aëris, quae corpora attenuat et relaxat, nulla fa-
 cultas saepe animalibus, in regionibus ardentibus,
 vivendi fieri possit. Si enim calor corporibus
 insitus, pro ratione attritus firmarum et fluentium
 partium inter se, existit, (quod verisimillimum est),
 et ille attritus, et in calidis et in frigidis tempesta-
 tibus, eadem permanet : si etiam differentia inter
 calorem aestivum, in regionibus ardentibus, et hy-
 emalem in temperatis, naturali corporis animalis
 calori maxime communi adderetur, summa, ad hu-
 mores coagulandos, plus quam sufficeret. Quo-
 circa natura benigna, calorem corpori proprium

* Essay, &c. p. 63. Huic argumento fortasse objici potest,
 quod in alto mari, coelum semper frigidius est, quam prope
 terram ; sed animadvertisendum est, in his calidissimis regioni-
 bus, etiam in alto mari, coelum aequem calidum, si non calidius
 est, ac in quibusdam partibus terrarum orbis, ubi hic morbus
 saevissime gravatur.

imminuendum, eadem ratione, qua in aëre circumambiente augetur, curavit. Itaque, (ut thermometro apparet), calor corporis, non major esse aestate, quam hyeme, minorque aëris circumambientis calore, observatur *. Hinc Syriae incolae, in calore ad 144° , scalae Farenheitianae, gradum assurgente, sine multo incommodo vivunt †.

CALOR igitur cum humiditate conjunctus, corpus ipsum afficiendo, causa hujus morbi fieri non

* In Carolina, coeli ardor aliquando ad 126° ascendit, tōtisque 28 gradibus calorem sanguinis humani superat. (Philosoph. Transact. No. 486.) Etenim mercurius in aëre umbroso descendit, cum in os hominis transfertur. Ibid. Linings.

Mirabilis sane res est, corpus humanum, quod caloris gignendi facultate insita praeditum est, circumambiente coeli calore frigidius, ullo tempore, esse, cum omnia corpora inanima, hac facultate privata, eodem sunt, quo aér, calore.

Cum hujus rei rationem non in promptu teneam, Jacobus Blairius, Virginiensis, quo ingeniosissimo juvēne, medicinae studia, summo cum fructu, in hac academia persequente, familiariter utor, verisimillimam conjecturam, experimentis quibusdam mirabilibus Culleneanis, in actis physicis et literariis (chart. 7.) relatis, nitentem, subministravit. In quibus egregius auctor, duas frigoris faciendi rationes, scilicet, evaporacionem, vimque aëris imminutam, invenit. Quae ratio ad nostram rem utraque facit: siquidem et vaporum magna vis, sub ardentí coelo, e nostris corporibus undique dissipatur; et hi ipsi vapores, quasi proprium aëra afficientes, coelestem, libero ad corpus aditu, prohibet.

† Shebbeare's practice of physic, vol. ii. p. 32.

potest,

poteſt, (niſi forte humorem, qui corpore ſummo exhalatur, non absorbendo, perspirationem quodammodo impedit). Sed putredinem rerum, quae circa nos diſperguntur, promovendo, (animalia enim corpora vel vegetabilia, ſine quadam humiditate non putrefiunt*), potentissima cauſa, evadit. Hinc paluſtria loca, huic fermento putenti, originem praebuiffe, GALENO memorantur †. Cadavera praelio interfectorum, humique inſepulta relicta et putrefientia quoque memorantur ‡. Aliorum animalium cadavera, vel horum partes, in cloacis, sterquiliniis, vel lanienis ‖, pifcesque in littore deſtituti, vel in lacubus et stagnis putrefientes **, platearum urbium immundities et anguſtia ††, frumenta corrupta ‡‡, vegetabilia quovis modo putrefientia ‖‖, turba hominum in navibus

* Alpinus obſervat, quod ab inſigni aëris calore, omne peſiferum contagium extinctum fuiffe, nunquam tamen a calore primae aeftatis, nec donec humiditates omnino diſſipatae fuit.
De med. Eegypt. l. i. p. 28.

† Epid. de feb. dif. l. i. c. 4.

‡ Foreſt. obf. l. vi. obf. 26. and obf. 9. ſchol. Diodor. Sicul. biblioth. hist. l. xiv. c. 70. 71.

|| Dr Robiſon's eſſay on the epid. diſeases of Cork.

** Pareus de peſte, c. 3. Foreſt. obf. l. vi. obf. 9. ſchol.

†† Titus Livius, anno U. C. 291.

‡‡ Caefar de bello civili, l. ii. Foreſt. l. vi. obf. 9.

||| Robiſon, ibid. p. 41.

conclusa,

conclusa, vel in carceribus coarctata *, maxime aegri hoc morbo laborantes †; omnia, inter causas hujus morbi, habentur.

RATIO SYMPTOMATUM.

SIQUIDEM hic morbus, tam a materie putrida, ab aëre recepta, quam ab eadem in corpore genita, fit; ejudem facies, pro varia acri ipsius materiae natura, vel aegrotantis habitu, quoque variat.

Quod ad miasmatum naturam attinet, ea, ut cunque genita, tam exigua sunt, ut sensuum nostrorum acumen fugiunt, solisque iis quae in corpore humano efficiunt, ea ipsa cognoscimus: cumque alii stimuli sanguinem citent, vel propria sua potestate inspissent; unde inflammatoria humorum densitas nascitur, per quam viscera obfariuntur, et capillares arteriae fere omnes oppilantur; hunc stimulum humores, modo ab illis prorsus diverso, insigniter vitiare, sagacissimi scriptores opinantur. Sanguis enim, et fortasse reliqui inde secreti humores, attenuantur, et adeo quidem, ut variis viis e corpore, cum subita et valida virium jactura, dilabantur. Sed quo modo hos effectus edant, quae-

* Lind's essay, &c. p. 3. Lord Bacon's nat. hist. exp. 914. Pring. obs. part 3. c. 7. Huxham on fevers, chap. 5. 8.

† Warren's treatise concerning the malignant fever in Barbadoes, p. 8. Lining. physie. et literar. essays, vol. 2. art. 20.

stio diu inter pathologos incertissima fuit. Opinionem vero, quae hanc humorum solutionem et attenuationem, nullo alio modo, quam fermentatione quadam, effici, statuit, plurima argumenta defendunt. Imprimis enim, omnium rerum, sanguis humanus, ad hanc mutandi actionem, pronissimus est ; est enim hic liquor, qui e materia admodum differenti, salina, oleosa, aquosa, et terrestri, constat. Praeterea, idem sat calefecit, et debitam aëris copiam, ad fermentationem, continet ; quas ob causas, si huic humori sic parato, materies putens accedat, (quam, fermentum potentissimum esse, PRINGELIUS monstravit ; *) ut fermentatio non inducatur, quî fieri potest ?

IN hac fermentatione, partium diversarum, quae humores constituunt, potestates attrahentes et repellentes mutuo mutantur ; qua mutatione, aër qui unicuique intus adhaeserat, et pro cemento coniunctas tenuerat, aufugit ; et ipso temporis puncto, quo expeditur, ad pristinam elicitatem rediens, minutissimarum particularum coniunctionem solvit. Hinc motus intestinus succedit, et tota moles paulatim resoluta et liquefacta, acrimoniam volatilem, oleosam, alcalefcentem, tandem acquirit.

Ex hac acritonia, et primum sanguinis, atque ideo deinde solidarum partium resolutione, non dif-

* Vide append. exp. 18. 28. 29. 31. 41. 43. Vide Macbrid. essay 2. exp. 12.

ficile est, quo modo omnia corporis officia turbentur, animo concipere; et plerorumque malorum, quae in hujus morbi cursu sese ostendunt, rationem reddere: scilicet, pulsuum, ex duris et plenis, mollium, inaequalium, et depressorum, virium prostratarum, caloris imminuti, extremorum frigoris, petechiarum et macularum lividarum, quae in diversis corporis partibus apparent; omnium excretionum putentis naturae, affectionum spasmodicarum, tremorum, convulsionum, comatis, vigiliarum, et syncopae. Pauca tamen sunt signa quorum rationes non aequae patent; et imprimis de anxietate praecordiorum tractabo.

DIFFICILE sane est illam cogitationis mutationem, quae anxietatem comitatur, intelligere. Causa vero communis anxietatis, est sanguinis ex corde egressus, ejusdemque iterum per venas redditus impeditus. Sed ea, de qua agitur, ex impedito sanguinis per venam portarum transitu, praecipue oriri videtur. Quod ei verisimile erit, qui, quod a physiologis demonstratur, nempe sanguinem venosum ab omento, stomacho, intestinis, mesenterio, liene, pancreate reducem, in truncum venae portarum colligi; et inde per convergentes ejusdem venae ramos, per totum hepar distribui, considerat. Sanguis enim hoc cursu magis iners, magisque etiam, superioris aestatis calore, redditur; et quoniam vi pulsatili non propellitur, facile quovis tempore, in hoc viscere, facilis vero nunc, obstructiones

obstructiones et accumulationes fiunt; dum putredine sanguis multo acrior factus, solida laxat et tenuiora reddit. Porro,

E ADEM solidorum resolutio facit, ut cordis, lienis, et hepatis molem auctam, quae in his morbis incidit, explicare possumus. Si enim ullius partis incrementum, a fibrarum rigiditate, sanguinis impetum superante, fisti posse, putamus; cum primum eadem fibrae iterum molliuntur, et praeter naturam relaxantur, sanguinis distendentis impetu iterum cedent, atque pars ipsa quoque augebitur. Hinc ille ponderis et tensionis sensus, in hypochondriorum regionibus, oritur, de quibus aegri tantopere conqueruntur. Hujus rei exempla quaedam praebent ii, qui postrema peste Maililiensi moriebantur *.

V E N I S autem illis plenis et distentis manentibus, sanguis arteriosus per caeliacam et mesentericas arterias allatus, et in has venas influxurus, ob resistentem vim, pariter impedietur; unde major solidorum et fluidorum attritus, et calor magnus in praecordiis incenditur.

Est vero aliquid singulare, et omnino proprium calori hujus febris. In aliis enim febribus, licet

* Vide Philosoph. Transact. abridged, vol. vi. part 3. c. 2. Traité de la peste, partie 1. Vide Eugalen. lib. de morb. scorbut. art. 31. Mead. monit. et pracept. med. c. 16. Mem. de l'acad. R. des sc. an. 1699.

primo tactu magnus satis calor protinus percipitur; is tamen a tangentis digitii calore vincitur, et paulo post minor apparet. In potentibus autem illis febribus continuis, calor saepe, inter tangentum, initio levior videtur; sed, omni temporis punto, augetur, perinde ac si de profundo corpore manaret, et tangentis medici, digitum quasi pungit, et mordet. Hujus differentiae rationem reddere omnino difficile est; nec intelligi potest, nisi forte ab halitu particularum putridarum, quae a RIVERIO fuliginosae appellantur *, per foramina cutis exeunte, oritur. Hinc GALENUS dicit, " eum calorem, tactum, veluti oculos et nares, fumus, laedere et mordere †."

Nausea, vomitus. Nausea a vomitu gradu tantum differre videtur; ergo omnia quae nauseam faciunt, si augeantur, vomitum quoque excitant. Itaque ab acribus, potentibus, et biliosis humoribus, in ventriculum rejectis, et in guttur ascendentibus, ac utrumque vellicantibus et irritantibus, vomitum excitari, notum est. Adeoque humores putentes, ex pancreate, hepate, vesica fellea venientes, et in duodeno intestino collecti, facile his partibus, sola respirationis actione, pressis, per pylorum in ventriculum transeunt.

NON raro autem evenit, ut sensus aegretudinis

* Prax. med. I. xvii. § 2. c. 2.

† De dif. feb. I. i. c. 9. Charter.

maximus,

maximus, circa stomachum, et imprimis circa hujus orificium superius, quod cardia vocari solet, cum prementi pondere molestissimo, percipiatur; dum interea bilis nulla evomi potest. Hujus rei rationem facile explicant; cum humores, qui a sanguine putente secernuntur, et ipsi igitur putere debent, in ventriculo collecti; tum communis ventriculi cum toto corpore, praesertim cum aliis visceribus, et prae ceteris hepate, consensu per octavi nervorum paris propagines: haec etenim per universa viscera abdominalia, praesertim circa ventriculi orificium superius, distribuuntur.

QUAERI tamen potest, cur hae partes, prae ceteris, in hoc morbo afficiantur? Fateor equidem, non minus fortasse esse difficile, rationem reddere, cur materies morbifica ad haec loca potissimum tendat, quam dicere, cur mercurius ad glandulas salivales et pancreatem potissimum spectet. Nec tamen rationis expers res esse videtur. Universus enim sanguis, in vena portarum et ejus ramis, is est, qui perfectum per arterias jam circuitum subiit; quo fit, ut omnes ejus partes nutrimentum praebentes, eliciantur, et sanguinis acescentia pereat; humores in naturam animalem omnino mutentur, et tota materies, quantum maxime potest, in putredinem ruat.

CAUSA cutis auriginosae, et decoloratae, duplex esse videtur. Bilis sanguine accepta, et ipsius sanguinis putens solutio. Ut autem sanguine bi-

lis accipiatur, spasmi ab acri hujus ipsius natura, vel a fordium potentium in duodeno irritatione, excitati, et ductus biliferos comprimentes, efficiunt. Sed et bilis secretae aucta copia, sine ullis spasmis aut impeditione, idem praestare potest. Si enim cutis, stercore naturali colore manente, per totum icteri cursum, flavus fit, quanto facilius in hoc morbo idem eveniat, ubi tanta bilis secretae copia, in ventriculo, duodeno, ductibus, et vesica fellea, abundat; et in sanguinem, tam variis et violentibus vomendi conatibus, quoque retro pelliuntur.

Hic autem color, ubi nulla bilis secretae abundantia est, imo ubi ipsa secretio in hepate impeditur *, solet observari. Atque adeo ad alteram causam, nempe ipsius sanguinis, per putredinem, resolutionem, et in cryptas, seu cellulas cutis verae

* In multis, qui, hoc morbo lethali, in Caroli oppido Americano, extinti fuerunt; cadaveribus incisis, superficies ventriculi, intestinorum, mesenterii, hepatis, et omnium denique viscerum abdominalium, coloris flavi erat; maculae lividae et latiae in iis apparebant, facies interna ventriculi, et intestinorum maxime inflammata videbatur: hepar maxime inflamatum, et in molem, naturali duplo majorem, tumefactum; scalpello incisum, sanguinem tenuem, atrum copiose emittebat; pars concava ejus livida et gangraenosa erat; bilis in vesica fellea, maxime spissa, nigra, et ab aqua difficulter diluta, bileque ejusdem indolis, ductus choledochus obstractus erat. Vide Joannis Moultrie dissert. med. inaug. p. 5. 6.

effusionem,

effusionem, referendus est. Ab hac enim, colorem flavum posse effici, flavedo partis contusae, ubi sanguis resolvitur; eorumque hominum qui vipera morsi fuerunt; oculi auriginosi, et cutis decolor scorbuticorum; denique hic ipse color, non nisi circa finem exitialem morbi, corrupto jam omnino sanguine, saepe non apparens; postremo, idem maxime post mortem auctus, cum bilis causa amplius esse nequit, manifesto omnia probant*.

PROGNOSIS.

HUJUS morbi eventus, praesertim in his febribus, quae ad ardentis febris naturam accedunt, semper incertus, plerumque malus.

Hic omnia multum ab iis differunt, quae in aliis morbis, praecipue inflammatoriis, fiunt. In illis enim, si vires vitae neque deficiunt, neque superant, materies morbifica quasi sua sponte concoquitur, et postea naturali crisi corpore expellitur: quod tamen nunquam in febribus putridis evenit; in quibus, multipli experientia, nullam

* Color cutis nostrae in sanguine circumfluente consistit: et, ut experimenta Pringeliana ostendunt, sanguinis corrupti crassamentum, aqua dilutum, fulvi coloris apparuit, qui color, ei, de quo loquimur, non absimilis est. Serum putridum, paucis globulis rubris in eo dispersis, omnino ejusdem coloris erat. Vide Pring. exp. 45.

crisis expectare, docemur. Earum enim fomes, semper diurnitate, et actione solidorum vivorum, magis ac magis acris redditur.

HINC hominibus robustis, sanguineis et labore ante assuefactis, plus in hoc morbo periculi est, quam mollibus et quiescentibus. In iisdem etiam brevior morbi cursus est; nam diurnitas morbi, pro ratione periculi magnitudinis, semper inversa est.

FEBRE procedente, vibratio arteriarum carotidarum magnus, cum pulsus radialis brachii etiam parvus et tardus sit, delirii imminentis certum signum est.

TERTIO, quinto die aut post hunc, raro vero ante, urina tenuis, pallida, nec quidquam ad imum dejiciens, cum cita et molesta spiratione, mox deliraturos, praedicit. Contra, si urina tandem sit crassa, copiosa, subfuscum sedimentum deponens, brevi malum tolletur.

Si materies multa biliosa, non decolor, mature et copiose sursum ejicitur, bonum; haec enim purgatio critica est. Diarrhoea quoque continua est salutaris. Verum si humores ejecti descendunt magis quam ascendunt, motus febrilis vehementior est.

TUMOR hypochondriorum mollis, doloris expersus, dito prementi facile cedens, cum ventris murmure, praesertim die critico, eveniens, saepe diarrhoeam

rhoeam criticam promittit. Si vero idem, a putrefactis humoribus, aëra elasticum generantibus, natus est, dum ventriculus et intestina resolvuntur, et non amplius causis dilatantibus resistunt, sed mirum in modum distenta, totum abdomen in aequabilem tumorem attollunt, signum lethale est.

Si materiae biliosae, post varios conatus, exigua tantum portio, atque haec aegre quidem excernitur, ventriculi morsu, syncope, vel singultu superveniente, aurigo fere semper praedici potest.

Si cutis, sanguine putrescente, decolor, secundo, tertio die, vel serius appareat; praecipue si pulsus, petechiis vel maculis purpureis, lividis, in diversis partibus apparentibus, languet, mors in propinquo est.

Quod si die sexto, vel septimo, aurigo supervenit, pulsu non subsidente, res in tuto est, morbus enim mitescit.

VIGILIA pertinax mala. Sed si vigiliae et delirio pertinaci, somnus profundus et reficiens succedit, certa salus est.

ALVUS tarda et prorsus constricta, praecipue in summa febre, nimia ejusdem solutione, periculosior est, et fere semper lethalis.

URINA nigra, sanguinea; nigra alvo reddita, pinguis, liquentia, pessime olentia, vel alba et spuma,

mea, (haec enim bilem et materiem morbificam retentam indicant), mala sunt.

Si post purgatum alvum, venter tensus, et cum dolore tumidus, manet; praesertim, si horror, sudor frigidus, singultus, cum unguium et extremitatum livore, superveniunt, hepar, lien, ventriculus, vel pancreas inflammari significantur.

Si dolores et ardor repente sibiuntur; si huic, viribus fractis, frigus succedit, anxietate, lipothyenia, interea invalescentibus, sphacelus in visceribus instat. Denique,

Si dorso jacent, floccos legunt, haemorrhagiae supervenient, tendines subsiliunt, vel convulsiones adoriuntur, pallida mors atra pede ad ostia pulsat.

RATIO MEDENDI.

SIQUIDEM tantillum a naturae conatibus, in hoc morbo sperandum, ars id quod ea deficit, supplere debet, et rite quidem observat JUNKERUS, "Febres biliosas, ad paucos illos affectus referri posse, in quibus autocratia naturae arti aliquo modo cedere cogitur *."

In curatione igitur, tria plane facienda videntur.

* Conspect. med. theoret. pract. tab. 61. p. 499.

1^{mo}, MATERIES morbifica ejicienda.
2^{do}, HUMORUM in putredinem progressui adverfaadum.

3^{tio}, VIRES aegris restituendae.

QUOD ad primam partem attinet, quaeri potest, an sanguis detrahendus sit, nec ne?

De hoc, scriptores inter se maxime differunt; et in morbis quidem putridis, ubi universi humores corrumpuntur, vel in contagiosis, ubi miasmata putrida, omnes eorum partes cito inficiunt, et citius vel serius in naturam similem sibi convertunt, exigua sanguinis copia, vena secta, emissa, minimum auxilii adferre posse, credenda est. Tamen in harum febrium initio, semper magis minusve signa inflammationis, quae a stimulo, quo particulae putridae fibras vivas afficiunt, oriuntur, sese ostendere, animadvertisendum est. Omnis enim contagio et miasmata putrefacientia, acri natura esse, habenda sunt. Ratio igitur sanguinem mittendi, in harum febrium accessione, est, ut nimiae febris vi occurratur, et inflammationes, quae in diversas corporis partes incident, prohibeantur: quas magna sanguinis rubri copia, motu celeri maxime calefacto, accendere solet *.

HUMORUM copia imminuta, vasis oscillatoriis liberior motus praebetur, et frictio et calor, quae

* Cleghorn's diseases of Minora, p. 179.

in primis febris diebus magna, sales et oleum sanguinis exagitant, acrimoniam et putredinem omnium humorum augent, et materiae morbificae actionem maxime adjuvant, quoque imminuuntur. Sanguis ergo, quoties res postulat, quam primum adimendus est, priusquam fibrae, putenti humorum solutione, quoque resolvantur *. Hoc remedium, pulsus celer, plenus, et durus, calor summus, fitis inexplebilis, cutis siccitas, respiratio laboriosa, praecordiorum anxietas, capitis et dorsi dolor intensus, vertigo, oculi gravati, postulant. Meminisse vero oportet, multo minorem copiam, in hoc, quam in morbis vere inflammatoriis, qui eodem modo saepe ingruunt, esse detrahendum †.

Post v. s. sine dubio ventriculus et intestina a bilis corruptae colluvie putrida, iis contenta, proxime purganda. Hoc magni SYDENHAMI pracepto omnino convenit, qui “vias” docet “observare diligenter, quibus natura exitum tentat, curamque eo perducere, naturae obsecundando.” Saepissime enim miruin in modum vomitum et diarrhoeam lenem ac

* Lind's essay on preserving the health of seamen, p. 129.

Febres in Indis Occidentalibus ultra primas 24 horas, signa inflammationis raro ostendunt; postmodo enim vel putridae, vel malignae, vel nervosae fiunt. (Essay on the most common West-India diseases, p. 24.)

† Huxham on fevers, p. 105. Vide Grainger de febre anomala Batava, pars 2. c. 1.

naturalem omnia in melius mutare, observamus *. Praeterea, si haec materies biliosa nimis diu in visceribus subsistere et corrupti permittitur, ea vel absorpta, vim febris auget, vel eam acrimoniam acquirit, quae profusam diarrhoeam, vel dysenteriam, fatalem aegro cito futuram, nunquam non inducat †. Et Baro VAN SWIETEN: "Corruptam bilem circa praecordia haerentem, enormes febres accendere, nunquam curabiles, nisi putridus ille fomes tolli potest," recte observat ‡. Hoc autem nullo alio modo fieri, quam vomitu et purgatione, posse, Cous senex 2000 ab hinc annis docuit §. Natura tanta vi, sua sponte saepe, vomitu, humores nocentes ejicere tentat, quanta emetico idoneo dato, niteretur, quo adjuta multo facilius efficaciusque consilium suum perficit †. Medicamenta vero lenissima et mitissima esse adhibenda, plane appetet, + qualia sunt infusa vel decocta ipecacuan. oxym. scillit. cum thea flor. chamaemel. et similia. Pulv. ipecac. a multis scriptoribus maxime,

* Cleghorn's diseases of Minorca, p. 171.

† Monro's account of the diseases of the British military hospitals in Germany, p. 165.

‡ § 99. tom. 1. p. 144.

|| Hippoc. de affect. § 5. P. 519. Foes. Vide aph. 2. § 1. & lib. de humor.

+ Huxham on fevers, p. 109.

++ Hoffman. tom. 2. p. 40. Grainger de feb. anom. pars 2.

sed fere ab omnibus tart. emet. parvis dosibus datum, faudatur * Acrium autem, hoc tempore, violentiam, viscera non facile ferunt. Horum inflammationes, quae has febres saepissime comitantur, diaphragmatis nimis validis contractionibus, et muscularum abdominalium actione, maxime augentur; et si hepar vel lien in putredinem tendunt (quod non raro evenit), quot, quantaque mala consequi possunt †. Praeterea, lenissima hoc quoque commodum habent, ut quoties materies putrida biliosa in primas vias destillat, saepius repeti possint; eademque, inter vomendum, alvum etiam molliter purgant.

SAEPISSIME vero tanta copia, et tam acri natura humores sunt, ut purgationes statim moliri non audamus; ne, vel minima irritatione excitata, illi intractabiles fiant, et quoquoversum impulsi, pes- sima mala concitent ‡. Aliis item temporibus, bilis, non debita copia, materiae morbificae ejiciendae, secernitur ||. Ergo in primo casu, humo-

rum

* Tissot's essay on bil. fevers, p. 46. Pringle's obs. part 3.
c. 4. § 5.

† Cleghorn, ibid. p. 185.

‡ Tissot, ibid. p. 74.

|| Probe memini, cum post servidissimam aestatem, febres biliovae epidemice graffarentur, in quibus molesta nausea, et vomitus fere semper aderant, me aliquoties dedisse statim vomitorium, absque multo levamine; ubi autem, per unum alterum ve
diem,

rum acrimoniam lenire, et in motum proclivitatem cohibere; in secundo bilis secretionem promovere, tentandum est *. Utrique consilio eadem omnino respondent, nempe potiones parvae, sed saepius datae, hydromelis acidulatae; vel aquosae, cum aurantiorum aut limoniorum succo, et saccharo adjecto; arguriarum succus †; hordeum cum syrupo ribesorum, cerasorum, vel succorum saponacium acidorum, mororum, rubi fructus nigri, uvarum Corinthiacarum, fragorum, malorum Persicorum, et uvarum ‡, decoctum; vel radicis graminis, acetosae, cichorii, foliorum capilli Veneris, cum tartaro regenerato, vel oxymele simplice decocta ||. Post-

diem, oxymele, vel similibus, magna copia aquae dilutis, usus fueram, sponte saepe vomitu exutiebatur corrupta bilis, instar glutinis fere spissa, vel levi vomitorio, secunda vice exhibito, facile expellebatur. (Van Swiet. § 644. tom. 2. p. 225.)

* In dysenteriae curatione, Pringelius ea medicamenta, quae bilis secretionem promovebant, maxime salutaria futura esse opinatus est. Ea enim medicamenta quae hujus humoris magnam copiam effundebant, multum commodum aegris afferre, observavit. Obs. p. 3. c. 6. § 3.

† Avicenna in op. Venet. de feb. c. 38. p. 31.

‡ Alexander Trallian. l. 12. c. 6.

|| Town's treatise of the diseases of the West Indies, p. 32. Tissot, ibid. p. 45. 59. Sennert. de febre, l. 2. c. 7. p. 221.

Maturorum fructuum succus nulla praeparatione indiget, siim extinguit, calorem temperat, urinae et alvi vias laxat, summum solamen, languenti ventriculo a putrida bile praebet. (Van Swiet. § 88. tom. 1. p. 126.)

quam

54 DE FEBRIBUS

quam has aliquamdiu adhibuerimus, tum demum emeticum exhibere audeamus.

HAC curatione, non solum humores accumulari, et in putredinem properare, sed eosdem cum sanguine receptos misceri, prohibemus; atque etiam materiem morbificam, in tractum intestinalem elicimus, unde corpore haec ejicitur.

HAEC febris adveniens fere continua est. His vero purgationibus adhibitis, non raro statim solvitur, semper mitescit, et plerumque remittit *. Post haec, usu compertum est, maxime utile esse, tartari emetici gr. ss. per totum morbi cursum, ter vel quater in die, datum, quae portio, non ut supra sed infra bilis abluatur, facit †. Clysmata quoque hanc purgationem optime promovent. Eadem consilio decocta tamarinda, cum manna, crem. tart. sal. Glaub. maxime convenientia.

VERUM etiamsi cathartica saepe necessaria, tamen non semper adhibenda sunt. Etenim

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Et natura aliquando, propter nimiam acerrimae bilis potentis copiam, quae in ventriculum et intestina, nunquam non exprimitur; saepius vero, ob ejusdem in iis longiorem moram, sua sponte nimis agit, et

* Wintringham, p. 122. Grainger, ibid. pars 2. c. 2.

† Pring. obs. p. 3. c. 4. § 5.

vomitus vehementior continuus est, vel profusissima, cum summa molestia, alvus redditur.

RE ita se habente, sudorifica adstringentia adhiberi solent, qualia diacodium, confectio Fracastorii, tinct. rosar. et similia sunt. Et fatendum quidem est, per cutem purgantia, interdum esse necessaria, cum HUXHAMUS, ne unam quidem harum febrium se unquam vidisse sanatam, vel bene judicatam, sine sudore magis minusve superveniente, testatur *. Haec vero excretio, acescentibus, diluentibus, salibus neutrīs, vel mixtura ex aqua alexiteriali, sal. c. c. et succo limoniorum in actu effervescentiae adhibita †, potius quam adstringentibus, promoveri debet; quandoquidem in horum usu, ne illam criticam excretionem nimis citato supprimamus, maxima cautione opus est. VAN SWIETENIUS enim, "Quando vomitio vel purgatio, a bile acri in primis viis contenta, oritur," obseruat, "illam tolli non posse, nisi illud biliosum, hic haerens, expellatur ‡."

UNUM est symptoma, quod aegri maxime conqueruntur, quodque per Deum immortalem, medicum, ut tollat, obtestantur; scilicet, vigilia pertinax; quae, quoniam a hypochondriis affectis

* Huxham on fevers, p. 116.

† Town, p. 36. 37. &c. Vide Cleghorn, p. 208.

‡ § 644. tom. 2. p. 224.

maxime pendet *, non alia ratione, quam bilem, primis viis educendo, et sanguinis ipsius statum putridum corrigendo, sanari potest. Papaveris vero usus vitandus est; opiata enim saepe somnum in hoc morbo parum reducunt †. Praeterea, eadem humorum putredinem, etiam variis modis, augent; nulla tamen potestate septica ‡, sed fibras motrices relaxando, secretiones omnes minuendo, et materiae putridae e corpore exitum impediendo §. Eorum igitur loco, praestantissimum remedium camphora esse videtur. Haec enim, proprietate narcotica, non solum somnum inducit, ubi opiata frustra sunt, spirituum animalium motus inaequales componendo; sed etiam per cutem, et alibi excretiones optime promovet †, et *validissime*

* Vide Tiffot, p. 78. 140. Vide Van Swiet. § 701. tom. 2. p. 324. 327.

† Huxham on fevers, p. 120.

‡ Pringle append. exp. 10.

|| Pringelius, exemplum lugubre sane mali effectus opii, hepatis secretionem minuendo, narrat. Militi dysenteria laboranti, opium datum est, quo excretio per intestina subito cohibita est: sed regio epigastrica statim tumere incepit, et cito postea ille, miser, animam efflavit. Corpore inspecto, hepar in maximam molem auctum, inventum est, usque ad umbilicum et lienem sese porrigenus, et circiter decem libras pendebat. Ejusdem substantia tenerima erat, cum magno abscessu, in parte posteriore, prope diaphragma. (Obs. p. 3. c. 6. § 2.)

† Hujus medicamenti felices effectus, in rectrice domus Comitis de Hyndford, dysenteria laboranti, ipse observavi, dum a me

validissime putredinem et impedit et corrigit *. Egregius HUXHAMUS † et HOFFMANNUS ‡, multis laudibus, eam jure cumulant. Ratio vero, cur eam non multo utiliorem experti sunt medici, est, quod justo minori copia adhibita est; non enim majoribus, quam quatuor vel quinque granorum potionibus, data est, cum tamen ad viginti vel plura, dari tuto potuerit.

INTER excernentia, vesicantia memorari merentur, quae utilissima in hoc morbo reperiuntur. In febribus contagiosis, quas LINDIUS tractavit: “ Plurimorum sanitas vesicatoriorum usui debebatur, quorum effectus et subiti et miri fuerunt ||.” Contra, TISSOT eadem, confidentissimis verbis damnat; existimans, sanguinis putredinem ab iis promo-

me tractabatur. Dejectiones per alvum, omnino cruentae, cum torminibus et tenesmo fuerant, pro quorum frequentia et dolore, nullo somno potiebatur. Tartaro emetico, parvis dosibus, per diem jam ante dato, vespere, camphor. gr. 15. adhibui. Quid secutum est? Per totam noctem placide dormivit, solum, quoties scaphio opus erat, expergefacta; etenim excretio per alvum non omnino imminuebatur, et per cutem etiam augebatur.

* Pringle, append. ibid.

† Huxham on fevers, p. 120.

‡ De camph. usu intern. et praestantiss.

Lindii mos erat gr. 4 vel 5 camph. gum. Arab. mucilagine solutae, cum potionē seri lactis, aceto separati, quarta, quaque hora aegrotantibus dare. (Papers on fev. and infect. p. 19.)

|| Ibid. Vide p. 8. 9. 16. 17. 20.

veri *. Sed ab aureis PRINGELII experimentis + nullam talem qualitatem eas possidere, apparet. Si quaeratur, quo stadio morbi ea imponi conveniat? HUXHAMUS, non in initio, cum febris adhuc ardet, id faciendum esse, respondet. Putat enim ea, quia vesicas excitando, cutem irritant et inflammant, et non raro stranguriam inducunt ‡, ideo vim stimulantem possidere. Sed an sanguinem multum citent, nec ne, dubitandum est; repetitis enim experimentis, in corpore fano, ea vix vel ne omnino quidem, pulsus excitare probatum est. LINDIUS porro, tempestivum vesicantium usum, subito totum capitis dolorem et febrem finivisse, affirmat ||. Et in febre, etiam jani proiecta, saepe mirum in modum profuisse, etsi non tam citissime, quam in accessu ejus, addit. PRINGELIUS autem in febris carcerum demissiore specie: “Si vini,” inquit, “usu, delirium auctum; si oculi feroce, aut vox acuta, cerebri inflammati indicia praebent; vesicantia, quae priusquam inutilia fuerant, maxime nunc profundunt, imo eo ipso tempore, quo cardiaca quaelibet turbas augerent †.” Iterum, “Si post remissiones vel intermissiones, febris in continuam vertitur, sive sanguis detractus sit nec ne, capite

* Essay on bil. fev. p. 82.

† Exp. 22.

‡ Vide methodum hoc malum sanandi, p. 16. of Lind on fevers and infect. & Huxham on fevers, p. 119.

|| Ibid. p. 17.

† Obs. p. 3. c. 7 § 5.

dolore vel delirio affecto, epipasticum magnum statim inter scapulas imponatur *." Contra HUXHAMUS, his tantum temporibus, quibus natura excitari debet, praesertim in febris declinatione, dum solida torpent, sanguinis circuitus languet, spiritus deficiunt, et aegri comate afficiuntur, ea adминистрari finit †.

MAXIMAE vero utilitatis ea, in his casibus, esse, quocunque studio data ‡, ab omnibus, credo, concessum est. Itaque ex iis quae dicta sunt, opinor concludere licet, per totum morbi cursum multum profutura esse. Nec abs re erit notare, ope eorumdem, novum organum, ad secretionem materiae morbificae, in hoc ipso morbo mire accommodatum, creari videri.

2. Ut humorum in putredinem proclivitati, quod in secunda parte promissum est, obviam eatur ; multa, quae jam memorata sunt, praesertim fructus, optime convenient. Sunt autem alia præterea, quae vel fermentationem omnino impediunt ; vel ipsa quoque insigniter fermentant ; utraque summa utilitate in hoc morbo inveniuntur.

QUONIAM putrefactio fermentationis ultima pars est, omnia antizeumica ei adversari manifestum

* Ibid. p. 3. c. 4. § 5. Grainger, ibid. p. 3. c. 3. Monro, &c. p. 173.

† Ibid. p. 119.

‡ Vide Towne, &c. p. 55. Cleg. p. 210.

est. Itaque sales omnes, sive acidi sive alkalini, sive neutri *, maxime laudantur. Quod ad acida mineralia attinet, VAN SWIETEN ait, “ Ubi putridum, adeſt, una cum nimia dissolutione humorum jam praesente, vel si brevi futura metuitur, tunc acidi spiritus, ex sale marino, nitroſo, vitriolico expreſſi, et alcoholi dulces redditi, acidum oleofum remedium, exhibent, fatis blandum, quodque tamen efficacissime omni putredini resistit, et grata fragrantia languentem ventriculum mire reficit †.” Eadem, ob hanc causam, utilissima sunt, in inflationibus tympaniticis, quae ab intestinorum resolutione, et materiae putridae in iis contentae fermentatione, oriuntur, aeque ac in omni alio hujus morbi stadio.

ACIDA vegetabilia, scilicet acetum, tartarum, succus limoniorum, sicut et spiritus ardentes diluti, cum multo commodo etiam adhiberi possunt ‡.

SED omnium praeſtantissimum remedium vinum est. Hoc enim morbi declinatione, vel cum calor febrilis nimius non est, adeo non calorem auget, ut potius minuat, cibi desiderium creet, vires et spi-

* Horum medicamentorum vis antiseptica, non ex eo, quod acida vel alkalina, sed ex quadam proprietate, salibus omnibus, communis, pendere videtur, quoniam omnia multa vi putredini resistunt. (Vid Pring. append. paper 1. and 2. Macbride essay 3,

† § 444. t. 2. p. 224.

‡ Vide Macbride's essay 1, tab. 2.

ritus animalis reficiat, concoctionem adjuvet, denique sua natura, insigne, subastrigens cardiacum sit*.

SALES alkalini, ob putentem naturam quam possidere crediti sunt, quia ex putredine nascuntur, damnati sunt. Verum etiamsi hoc verisimillimum videatur, tamen PRINGELII experimenta, plurimam vim antisepticam possidere, docent †, quapropter minus metuendi sunt ‡.

ANTIZEUMICIS, frigus enumerari debet ; siquidem coelum frigidum superveniens, hujus morbi impetum semper reprimere, observatum est. SYDENHAMUS, omnes, febribus affectos, lecto educi monuit, id quod in nulla magis quam in hac, servari debet. Et CELSUS, " Ut ample conclavi teneatur aeger, quo multum et purum aërem trahere possit, neque multis vestimentis strangulandus, sed admodum levibus tantum velandus," auctor est||.

Si enim homo sanus, spatio minuti temporis congium unum aëris ita contaminat, ut ad respirandum ineptus fiat ; quanto magis, hoc morbo

* Huxham ibid. p. 123.

† Exp. 3. 4. Vide Macbrid. essay 3. exp. 2. 3. 4. Van Swieten.

" Optimus semper sunt usus," ait, " nisi validus simul motus humorum adsit ; tunc enim metus est, ne fanguis magna copia horum sanguis gravatus, acrior redditus, et velocius motus, destruat tenuissima vasa." § 88. t. 1. p. 127.

‡ Vide Monro's diseases, &c. p. 32.

|| L. 3. c. 7. p. 143.

Iaboranti, aër recens et renovatus necessarius est, quo miasmata potentia, a summo corpore semper avolant?

PORRO, aegrorum linteae vestes saepe mutari *, et frigida, potui semper dari, debent †. Potionibus enim frigidis tam opus est in febribus aestivis, quam tepidis in hiemalibus inflammatoriis. Non enim solum tutae sunt, sed etiam utilissimae, multoque efficacius sitim sedant, vires vasorum roborant, et spiritus reficiunt, quo fit, ut materies febrilis facilius concoquatur ‡.

ANTIQUI, tantum aquae frigidae, quantum aegri bibere poterant, ut a scriptis HIPPOCRATIS, ARETAEI ||, GALENI †, ALEXANDRI †, CAELII AURELIANI ++, et aliorum, appareat, dare consueverunt. GALENUS saepe sui seculi medicos, frigidam potionem omissam, objicit, et hydrophobos appellat.

INTER recentiores FERNELIUS =, FRED. HOFFMANNUS **, Baro VAN SWIETEN ††, KLEOKHOF ‡‡, GRAINGER |||, et alii, eandem praescripserunt, et optima documenta ejus utilitatis dederunt*.

* Cleghorn. p. 175.

† Ibid. p. 174.

‡ Cleghorn. p. 174.

|| L. 2. c. 8.

† Method. medend. l. 9. c. 6.

++ L. 7. c. 15. l. 12. c. 2.

++ De acut. pressionib. l. 3. c. 21.

= Meth. cur. feb. cap. 2. oper. p. 389.

** Meth. med. sect. 2. c. 11. p. m. 469. De intest. dolor. obf. 4. et v. t. 4. p. 293.

†† § 640. t. 2. p. 215. § 730. p. 422. § 743. p. 494.

‡‡ Opusc. p. 18.

||| De feb. anom. p. 79.

* Si quis medicus timidus aquam a fonte frigidam parum pro-

MEDICAMENTA potestate fermentandi praedita, ea vegetabilia decocta sunt, quae partibus gummosis et resinosis abundant: qualia sunt serpentariae Virginiana, valerianae, et contrayervae radix, flores cha- maemeli, rosmarinus, rosae rubrae, radix tormen- tillae, cinnamomum, et cortex Peruvianus, decocta. Haec etiamsi, cum animalium partibus facile fer- mentant, eorundem tamen fermentationem quo- que moderantur, et aequabilem reddunt. Si vero materies lignea, praesertim cortex, adhibetur, multa vi fermentant *; et fortasse haec est causa quod cor- tex contritus, quibusdam ventriculis, colluvie pu- tenti refertis, parum convenit.

MIRUM videri posset, ut res fermentantes, vim antisепticam, utique possideant; sed ingen. MAC- BRIDIUS, experimentis suis, corporum putredinem ex aëre fixo perdit, omnino oriri, et hoc reddit, illa integra quoque reddi, demonstravit †. Illa igitur, ob magnam aëris copiam in iis contentam, ad eum restituendum magnopere valent ‡. Cortex Peruvianus, hoc insuper commodi habet, quod, vi sua adstringente, solidas fibras etiam reficit, et ro- borat.

bat, eandem in cubiculo pro temporis spatio retineat, vel panem tostum ei adjiciat, priusquam aegro detur.

* Vide Pring. append. exp. 37.

† Essay 2. exp. 17. Vide Pring. exp. 13.

‡ Essay 3. exp. 15. 16. 17. 21. 22.

3. In tertia et ultima parte curationis, praecipue
vi^tius ratio, habenda est. Convalescentes enim,
non solum vi morbi, sed etiam exinanitionibus,
quibus ad morbum amovendum, ante opus fue-
rat, maxime confe*cti*, cibi desiderium et vires pi-
gerrime recuperant. Itaque eorum cibus, tenuis,
levis, nutriens, et facilis conco*ctu* esse debet. Ex-
ercitatio utilis imprimis est. Commodo vero ex-
ercent lectica, rheda aut equo vehi, et frictio. Fri-
gida lavatio plurimum prodest *. Medicamenta
omnia, adstringentia debent esse ; qualia sunt elix.
vitr. chalybeata omnia, cortex Peruvianus. Vina
meraca liberius potui dentur. Verum multiplex
in omni parte terrarum orbis experientia, et scri-
ptorum fere omnium, testimonia nullum, medica-
mentum tanta vi roborare, neque redditum hujus
morbi tantopere prohibere, quam corticem Pe-
ruvianum, docent; cui igitur non solum ad mor-
bum removendum, sed etiam usque ad sanitatem
perfectam, insistendum est †.

* “ Propria experientia in regionibus calidis doctus, multas
diarrhoeas et alias morbos, insoliti et summi caloris solos. effe-
ctus, non tantum frigida lavatione sanatos, sed eorum redditum, et
etiam accessionem quoque, probita esse affirmo.” (Lind. essay
on health of seamen, p. 45.) “ Aestate vero frigida lavatio,
caro affa, frigidi cibi vel qui refrigerent. Ut saepius autem
cibo utendum, sic exiguo est.” Celsus de med. l. i. c. 3. p. 33.

† Vide Cleghorn’s diseases of Minorca, de usu corticis, p.
186. 188. 191. 193. 200. 202.